Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8134
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



O dulci fructu semper laudabilis arbor
Quem quisquis gustat attica mella fugit
Nec capitur loto nec lesbia pocula curat
Sirenum vitat carmina vitat humum
O virtute nova semper mirabile signum
Effugiet demon cuius ubique timet
Cesarias aquilas spernens et regia sceptra
Ille crucis fugiens inclita signa pavet
Hanc meditabundi crebro recolamus amice
Hac munita nihil pectora nostra tremat
Sic consumetis preclaris artibus evum
Lucida defunctos Christus in astra ferat

Elegia Joannis Murmel

Ad illustre et generosum virum Theodoricum Schade canonicum ecclesie monasteriensis et divi Mauricii prepositum Gommum suum in primis colendum

De prudentia

Japeti natos generis primordia nostri
Dissimili perhibent instituisse manu
Deformasse putant multos epimethea vates
Brutos et limo deteriore gravis
Sordida celestis quorum per membra vigoris
Ignavis manibus miscuit ille parum
In tenebris horum versantur pectora: vivunt
Ut pecudes misere consilioque carent
Accepta seras fundunt iam clade querelas
Instantis nequeunt damna cavere mali
Felici prudens finxit quos arte prometheus
Aetheream lucem non superante luto
Hi novere bonas pravis secernere rebus
Consiliis pollent ingenioque vigent